



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus XLIII. De Scandalo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**

Ex his igitur fundamentis optime inferimus saltem probabilius esse competere nostris facultatem, qua proin uti tuto possumus. Communis enim opi-

nio tenet Ecclesiam supplere defectum jurisdictionis, casu quo hac aliquis quidem careat, probabile tamen fundamentum habeat, sibi eam competere.



## Casus XLIII.

### De Scandalo.

**P**etrus, cum sciret Cajum ad committendum certum peccatum jam esse plene determinatum, ut ab isto eundem averteret, efficit, ut aliud illo omisso committat.

Quæ. Utrum in hoc casu dederit scandalum?

#### §. I.

#### Synopsis.

#### Quædam prænotanda.

1. Varii in hac materia occurrere casus possunt.
2. Minus malum potest esse non contentum in majore.

3. Potest alter ad utrumque jam esse determinatus.

4. Potest alter jam esse determinatus ad utrumque malum eisdem inferendum.

5. Potest alter nondum esse determinatus, utrum huic vel illi malum inferat.

#### §. II.

#### Sequuntur Conclusiones.

6. Nunquam licet alterum consilio, aut jussione expressè, vel tacitè ad peccandum inducere.
7. Non erit licitum suadere minus malum, si à majore aliter abduci quis poterit.

Q q q

8. Vo-

8. Volenti patrare majus licebit suadere, ut minus formaliter, aut materialiter in majore contentum inferat, cui majus inferre statuerat.
9. Parato & majus, & minus malum eidem inferre, probabiliter etiam opera ad minus malum omisso majore inferendum licitè confertur.
10. Consentienti tamen in sui occisionem illicitè quis cooperatur.
11. Determinato ad furandum centum Sticho non possum suadere, ut illos auferat Clito.
12. Hinc ipsius Loth factum non omnibus probatur.
13. Solvitur alia objectio.
14. Determinato ad commitendum majus, probabilius licebit materiam minoris peccati proponere.
15. Non paratus efficere minus in majore non contentum, illicitè inducetur ad minus.
16. Quia electio, & antepositio minoris hujus mali est simpliciter tamen malum.
17. Quia intrinsecè malum est suadere sub quacunque conditione minus malum.
18. Solvitur objectio ex S. Augustino.
19. Petrus determinatus ad majus malum Paulo inferendum, vel ad minus Jacobo, non potest induci ut minus Jacobo inferat.
20. Ejusmodi suasor non optat solummodo, sed determinat ad malum.
21. Lædit insuper jus tertii.
22. Volenti surripere pauperi; ut hanc summam diviti auferat, illicitè suadet.
23. Etiam si nulla persona determinetur.
24. Quia non tantum est repulsor damni pauperis,
25. Sed etiam causa damni tertio illati.
26. Volenti furari pauperi licitè proponitur, convenientius esse furari diviti.
27. Inducens ad furandum diviti huic restituere tenetur.
28. Cum usuræ non sint pars homicidii, hinc ad averendum istud malè consuluntur usuræ.
29. Si determinato ad majus malum suadeo minus in illo contentum, ab excessu tantum abstrahere intendo.

§. I.

*Quenam prænôtanda.*

- 1 **A**Nte Responsionem sciendum est. Primò. Varios casus posse contingere, in quibus aliquis alteri suadeat, ut omisso uno committat aliud. Primò enim potest minus contentum esse in majore, tanquam pars in toto? Sic furtum centum aureorum est contentum in furto 1000. combustio solius stabuli in combustione integræ villæ, & ædes, & stabulum completentis.
- 2 Secundò. Potest minus non esse contentum in majore, sed totaliter diversum: ita furtum unius floreni est quid adæquatè diversum à detractioe gravi, qua alterius bonum nomen denigratur.
- 3 Tertiò. Potest contingere, ut alter sit jam determinatus ad utrumque illorum, etiam quarum unum non est contentum in altero, perpetrandum, vel potest esse, ut ad alterutrum tantummodo sit determinatus, in-

differens tamen adhuc ad quodlibet determinatum.

Quartò. Potest esse, ut utrumque malum, quod alter vult facere, intendat inferre eidem, & ego suadeam, ut talis inferat minus malum præ majore, vel potest alter velle soli Cajo v. g. inferre malum, & ego ipsi suadeam, ut minus inferat alii, quàm Cajo.

Quintò. Denique potest esse, ut inferre malum volens nondum sit determinatus, num huic velit inferre malum, & ego primum determinem, ut huic potius inferat malum, quàm alteri, quia hac ratione committit minus malum. His suppositis,

§. II.

*Sequuntur Conclusiones.*

**D**Ico 1. Nunquam est licitum consilio, aut jussione inducere alterum expressè, vel tacitè ad faciendum, quod ab altero sine peccato fieri non potest. Ita communis cum S. Antonino, Navarro, Suarez, Coninck, Layman. Probatur.

Q 99 2

Nun-

Nunquam licet alteri dare scandalum, sed talis dat. Probatur maj. Christus Matthæi cap. 18. ait: *Vae homini illi, per quem scandalum venit.* Prob. 2. Datur præceptum negativum naturale prohibens, ne proximum in peccatum inducamus. Probatur etiam minor: Scandalum definitur: *quòd sit dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem spiritualis ruinae.* Atqui talis persuasio est tale factum minus rectum præbens alteri occasionem spiritualis ruinae, peccati scilicet persuasi: ergo &c.

7 Dico 2. Si volens inferre malum ab hoc abduci potest alia viâ, quam suasionem minoris mali, non erit eidem licitum persuadere minus. Ita Molina, Thomas Sanchez, Lessius, Palao *de charitate tract. 6. disp. 6. p. 6. n. 1.* Ratio est, quia minus malum suadere tantum ideo licet, in quantum est mera diminutio, & exclusio majoris mali: atqui non est, si alia viâ honesta majus malum evitari, & impediri possit.

8 Dico 3. Si minus peccatum est contentum formaliter, vel virtualiter in majore, non erit

illicitum, si volenti patrare majus suadeatur, ut omisso majore inferat minus illi ipsi, cui inferre majus jam alter constituerat. Ita Layman, Dicastillo, Mendo, Gobat, Palao. Probat. in tali casu suadens alterum non inducit ad peccatum, sed à parte peccati tantummodo abducit, ut patet. 2. Tale minus malum non suadetur ut malum, sed quatenus est minus quoddam, ac diminutum malum, seu mali diminutio: atqui diminutio mali est bona: ergo &c. 3. In tali casu non consulitur minus malum, sed potius à gravi alter retrahitur, & ad hujus gravioris carentiam adducitur.

Dico 4. Parato & majus, & minus malum eidem personæ inferre, non tantum licitè consulitur minus, sed etiam opera ad talem actionem materialiter sumptam confertur. Ita Palao *de charit. disp. 6. p. 6. n. 8.* Sanchez, Bonacio, Suarez. Prob. in tali casu alter non juvatur in actione, quæ de se est illicita, & mala, sed potius, ut in bona, in quantum à consulente minus procedit: ergo &c. Prob. ant. consulentis cooperatio, in quantum

tum ab illo procedit, est bona, & honesta: ergo. Prob. antec. procedit ex tacito, & præsumpto consensu Domini, qui ne patiatur majus malum, consentit, ut à te cooperatio fiat ad minus.

10 Objic. Si talis cooperatio non est mala, quia alter damnus patiens consentit, tunc etiam licita erit occisio alterius, si in sui mortem consenserit: hoc est falsum, ergo & prius. Resp. neg. sequelam, disparitas est, quod nemo habeat jus concedendi alteri facultatem se occidendi: bene autem habemus jus, & dominium in nostra bona fortunæ: ergo huic renunciare possumus. 2. Datur præceptum conservandi vitam, non autem datur præceptum conservandi etiam minora bona, si aliàs majora perderentur.

11 Dico 5. Si Cajus tantum determinatus fuit ad inferendum aliquod malum Sempronio, v. g. ad furandum illi centum, non licet eundem inducere, ut hos centum furetur ipsi Sticho. Ita Lessius, Petrus Navarrus, Molina, Sanchez Palao. Nulli licet inducere aliquem ad inferendum tertio damnus,

quod hic tertius non tenetur subire: atqui in dato casu non tenetur subire damnus, ne aliquod patiatur Sempronius: ergo non licet Cajum ad inferendum damnus ipsi Sticho inducere, ne patiatur simile Sempronius.

Objic. Legitur in sacra Scriptura, quod Loth Sodomitis violentibus in hospites irruere obtulerit suas filias stuprandas: ergo hoc est licitum. Resp. hoc factum à pluribus Authoribus ut illicitum reprobatum fuisse.

Objic. 2. Ex ratione hujus conclusionis constat, quod ideo non liceat Cajum persuadere, ut furetur Sticho, quia iste non habet obligationem, ut in bonis suis damnus patiatur ad avertendum malum à Sempronio, hoc non potest dici. Probat. min. sequeretur, licitum esse, ut Cajo volenti nocere Sempronio persuadeam inferre hoc damnus Sticho, si iste obligatus esset ad avertendum omne malum à Sempronio. Probat. Sempronius, quia cum jactura suorum bonorum obligatus est ad avertendum malum Sempronii, non potest conqueri contra hoc damnus: ergo &c. Re-

Q 99 3 spond.

spond. transeat maj. neg. min. in hujus probatione neg. min. dein dist. antec. Stichus, si obligatus est ad sua bona expendenda pro incolumitate Sempronii non potest conqueri, si Cajus volens Sempronium lædere, etiam hoc damnum efficere eidem posset, vel haberet jus ad inferendum ipsi Sempronio, conc. si non habeat jus efficiendi tale damnum, sed graviter peccet: negatur.

14 Dico 6. Si Cajus se determinavit ad committendum grave peccatum, tunc probabilius licebit eidem proponere materiam minoris peccati, ut sic absterreatur à majore. Ita Covarruvias, Cajetanus, Valentia, Sanchez, Lessius, Palao. Prob. Hac propositio non inducit Petrum ad committendum alterum peccatum, sed viam solummodo ostendit, & proponit, quomodo illud majus malum evitare possit. Confirm. Licet talis via evitandi majoris mali sit mala, à proponente tamen non inclinatur Petrus, ut illuc eat, sed solum dicitur illam esse viam, qua majus malum evitari potest, & hoc est verum.

Dico 7. Si Cajus non fuit paratus efficere minus malum ex-<sup>15</sup>trinsecum majori, quod paratus fuit facere, probabilis non licet eidem suadere, ut minus faciat, Ita Cajetanus, Covarruvias, Sylvester, Emanuel Sà, Valentia, Conrad., Palao. Probatur. Qui non parato minus malum suadet, & consulit, est vera hujus causa, verè inducens alterum ad illud faciendum: sed talis peccat: ergo &c. Prob. 2. Cajus faciendo istud minus malum etiam, ut evitet majus, non utitur licito medio ad majus evitandum: ergo si ego ipsi consulo, ut utatur hoc modo illicito, consulo eidem aliquid illicitum.

Objic. In tali casu nequa-<sup>16</sup>quam aliquod malum persuadetur, sed tantum electio, vel antepositio minoris ante majus, sed hoc non est illicitum. Probat. min. si supponatur, quod Petrus se determinaverit ad majus malum, hac antepositio, vel electio minoris mali est necessario facienda, si rectè velimus procedere: ergo &c. Resp. neg. maj. nam electio, & antepositio minoris mali, licet procedat à voluntate determinata ad majus

ma-

malum, est tamen simpliciter aliquod malū: ergo si ego eidē ad hoc faciendū nondū determinato illud persuadeo, suadeo aliquod malū quod tamē non licet, 2.dò. Nullibi datur præceptum eligendi minus malum, ut evitetur majus, sed præcipitur, ut abstineamus ab utroque.

17 Objic. 2. Hoc minus malum non suadetur absolute, sed tantum ex supposito, quod majus aliud malum velit efficere: ergo erit licitum. Prob. consequ. si minus, ut eligatur, suadetur, casu, quo gravius sit effecturus, geritur utiliter negotium ipsius Petri volentis peccare, tum ipsius Dei, qui hoc modo minus offenditur. Resp. conc. antec. dist. consequ. ergo erit licitum, si non foret intrinsecè malum, suadere sub quacunque conditione minus malum: conc. si sit tale intrinsecè malum, neg.

18 Objic. 3. S. Augustinus relatus in cap. si quod verius est 33. q. 2. loquens de volente occidere uxorem, & ducere concubinam, ait, utrumque nefarium esse, nec debere unum præ altero perpetrare, sed utrumque vitare: sed si facturus est, quod non licet,

jam faciat adulterium, & non faciat homicidium: ergo &c. Resp. dist. consequ. ergo hoc licitum est, si Glossa ibidem loqueretur consulendo. conced. si loquitur, duntaxat permittendo. negatur. 2.dò. Potest dici, quod Divus Augustinus solum dixerit, rectius esse adulterium facere, quàm homicidium, prout alibi dicit, melius esse unum peccatum habere, quàm plura.

Dico 8. Si Cajus se determinavit ad magnum malum inferendum Paulo, vel ad minus inferendum Joanni, non posset Petrus eidem suadere, ut minus inferat Joanni. Ita communis ferme omnium sententia contra Pontium, Vasquez, Tamburinum, Probatur: hoc modo suadetur Cajo illatio alicujus damni Paulo faciendi contra Joannis ipsius jus: atqui hoc non licet: ergo &c. Probat. maj. Joannes non est obligatus, ut damnum in suis rebus patiatur, ne damnificetur Paulus: ergo &c.

Objic. 1. Contra hanc octavam conclusionem. Qui talia suadet, solummodo optat, ut volens inferre damnum è duobus



bus malis eligat minus; sed talis non peccat: ergo &c. Resp. neg. antec. cum enim indifferenter ad nocendum Paulo, vel Joanni determinet ad hoc, ut noceat Joanni, ideo in damnum huic illatum verè influit ut causa moralis.

21 Objic. 2. Si minus malum omisso majore committatur, tunc minus læditur honor Dei, atqui hic semper à nobis procurandus, & præponendus commodis creaturarum. Resp. dist. maj. & tamen læditur etiam actu jus tertii, quod salvum deo conservare, conced. & hoc non læditur, negatur. Est commune proverbium: non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

22 Dico 9. Si Cajus se determinavit ad surripiendam certam summam pauperi, probabiliter eidem non poterit suadere, & consulere, ut illam surripiat diviti, non determinando personam divitis. Ita Palao *pu. 6. n. 12. locò citatò.* Probat. Talis consulens intendit commutare voluntatem Caji nequaquam in aliquod bonum, sed in aliquod malum, licet minus: ergo peccat. Prob. antec. furto facien-

do pauperi subrogare intendit furtum divitis. Cum Cajus ponatur se necdum determinasse ad furtum faciendum diviti, quod tamen eidem persuadere intendit: sed hoc est aliquod malum: ergo &c.

Respondent adversarii fur-<sup>23</sup> tum faciendum diviti est malum: si determinetur etiam persona. conc. si hæc non determinetur, uti ponitur, negatur.

Contra est, licet nulla persona sit determinata, seorsum tamen hoc furtum est diversum, & adæquatè distinctum ab illo, quod prius intendebat facere: ergo cum quodlibet furtum sit aliquod malum, si ad illud alterum primùm determino, pecco.

Confirmatur. Etiam Adversarii concedunt peccaturum Petrum, si Cajo suaderet, ut furaretur determinatè huic diviti v. g. Sempronio: ergo etiam peccat, si personam non determinet. Prob. conseq. ex eo, quòd personam non determinet tantùm inferitur, quòd consulens non sit causa alicujus determinati, sed solummodo vagè sumpti furti: ergo peccat. Prob. conseq. violat jus omnium divitum

in-

indeterminatè, quia omnes possent conqueri de tali consulente, quod voluntatem ad furtum pauperi faciendum determinatâ inclinaverit ad se divites: ideo enim peccat, si personam determinat, quia voluntatem Caji necdum determinati inclinât ad nocendum illi determinatâ personæ.

24 Objic. 1. In tali casu Petrus consulens est tantum repulsor damni pauperis, & nullius alterius damni causa. Resp. negando. contrarium patet ex nostris rationibus.

25 Objic. 2. Petrus in hoc casu non inducit Caji ad aliquod peccatum, ad quod ipse non fuit determinatus: ergo non peccat. Prob. conseq. ideo solum peccaret, quia Cajum ad aliquod peccatum induceret, ad quod iste necdum fuit inclinatus: ergo si ad hoc jam est determinatus, non peccat Petrus consulens. Probatur etiam primum antec. dum Caju determinatus est ad furtum faciendum pauperi, jam fuit absolutè inductus ad committendum furtum: ergo &c. Prob. antec. in quolibet individuo continetur species, &

genus: ergo si voluerit aliquod furtum in individuo, voluit etiam furtum in genere, sub quo continetur etiam furtum diviti faciendum. Resp. neg. antec. in probatione dist. antec. jam fuit determinatus ad furtum committendum, ac violandum jus hujus determinatæ personæ pauperis conc. sine hac determinatione negatur antec. & conseq. licet quodlibet individuum etiam participet de prædicato generico, hoc tamen per prædicatum individuale jam contrahitur ad hoc determinatum individuum, & non relinquitur in sua generali latitudine, aliàs sequeretur, quod volens occidere cervum, etiam velit occidere hominem, quia cervus continet prædicatum genericum animalis, sub quo continetur etiam homo.

Dico 10. Si aliquis Cajo in hoc casu non consulat, ut diviti furetur potius, quam pauperi, sed proponat duntaxat convenientiam, quæ in eo datur, quod pauper anteponatur diviti, probabiliter non videtur peccare. Ita Palao n. 12. Prob. in tali pura propositione tantum innuitur,

Rrr

mi-

minus peccatum esse, ac minorem injuriam irrogari diviti, quam pauperi; sed in tali representatione non adest aliqua culpa. Prob. min. Hac ratione neque consulitur, neque persuadetur furtum diviti faciendum, sed id, quod est verum, duntaxat proponitur.

27 Dico II. Si Cajus inductus à Petro furetur, postea diviti eundem ad restitutionem huic faciendam verè obligatum esse. Prob. Huic diviti est verum aliquod damnum factum, & hujus consulens Petrus est vera causa: ergo tenetur ad restitutionem. Prob. conseq. Si hoc non obstante à restitutione excusaretur, ratio esset, quia non suaserat, ut huic determinatè furaretur: hæc ratio nulla est. Prob. min. etiam hoc dato, Petrus consulens verè fuit causa, ut huic diviti in particulari fieret furtum.

Confirmat. Si Cajus omnino nihil cogitasset de furto, & Petrus in genere eidem suasset, ut furaretur, sine dubio ad restitu-

tionem rei postea ablatæ obligaretur: ergo determinatio personæ non est necessaria.

Objic. Contra tertiam conclusionem n. 9. propositam, in cap. super eo, de usuris. habetur, quòd illicitum sit pro vitanda occisione captivi consulere usuras: ergo nunquam licet consulere minus etiam pro evitando majore peccato. Resp. neg. conseq. disparitas est, quòd usuræ non contineantur tanquam pars in occisione captivi, & qui hanc vult, non hoc ipso vult usuras, nec tantùm avertitur à majore malo, sed etiam inclinatur ad novum malum priùs non intentum.

Objic. 2. Contra eandem conclusionem tertiam. Etiam suadens minus determinato ad majus, in quo minus continetur, est causa moralis damni minoris, & tamen licitè facit: ergo. Resp. neg. antec. Quia ponitur jam fuisse Cajus ad illud determinatus, & simul ad aliquid plus.